



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XLIV. An Iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione citare reum, vt
possit illum remittere Curiae seculari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

numerus, ff. de testibus, & cap. si quis testes, §. ubi x. quest. 3. & tradunt Cephal. consil. 651. Mascard. de probat. in prefat. quest. 5. num. 117. & Farinac. quest. 63. num. 232.) seruandum non sit, sicuti rectè docent etiam Ozalscus decis. 1. num. 1. & 15. Farinac. quest. 25. num. 68. & cit. 9. 63. num. 13. & Martha claus. 160. numero 10. part. 1. Quapropter non poterit Episcopus pro informatione suæ conscientiæ quid sufficienter habere, nisi habeat probationem veram, plenam, & concludentem, quam omnia iura requirunt; præsertim, si tractetur de præiudicio rei, & Ecclesiæ, quorum partes sunt valde fauorabiles.

DUBITATIO XLIV.

An iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione citare reum, ut possit illum remittere Curie seculari.

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

- 1 Index Ecclesiasticus cum hac cognitione tenetur citare Ecclesiam, seu nomine Ecclesiæ defendere, cum directè de eius præiudicio agatur.
- 2 Item tenetur citare reum, cum non possit inuitus ab Ecclesia à Prælato Ecclesiastico extrahi.
- 3 Reus potest extrahenti resistere, & extractus iam agere ut Ecclesiæ restituatur.
- 4 Iudex Ecclesiasticus sine citatione delinquentis non potest illum remittere Curie seculari.
- 5 Quotiescumque directè agitur de præiudicio alicuius, agitur de præiudicio eiusdem ad ipsum condemnandum.

Dixi, an obligatus sit citare reum; quia quod obligatus sit citare Ecclesiam, seu nomine Ecclesiæ promotorem fiscales, ad quem spectat iura Ecclesiæ defendere, indubitatum videtur: cum directè de eius præiudicio agatur, de vnoquoque, ff. de re iudic. a. l. nam ita Diuus, ff. de adoption. & cap. 2. de testibus, & docet Farinac. in consil. 168. num. 42. & in append. de immunit. cap. ult. in fin. Hoc posito.

- 2 Respondetur affirmatiuè. Atque ita contra Remigium Gonny de immunit. Eccles. q. 2. num. 3. & 11. Gratianum disp. 596. num. 26. Giurham consil. 100. de immunit. num. 28. & Antonium Nouarium in summa Bullarum, tit. de immunitat. Eccles. num. 96. (vbi pro sua sententia testatur de praxi Curie Archiepiscopalis Neapolitanæ, & citat Merlinum in controuersis forensibus) docent Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius in appendice, cap. 22. num. 376. & consil. 168. num. 48. Petegrin. de immunit. Eccles. cap. 3. num. 9. & segg. Bonac. tom. 2. disp. 3. quest. 7. punct. 7. numero 10. & Diana part. 4. tract. 1. resol. 112. & probatur; quia priuilegium immunitatis, quamvis competat primo, & per se Ecclesiæ, competit tamen immediatè, directè, & per se etiam delinquenti; cum ipse non possit inuitus ex Ecclesia à Prælato Ecclesiastico extrahi (ut supra dubi. 24. cap. 22. numero 16.) quin & possit (ut supra dubi. 24. sect. 1. dubi. 26. & 32. dicebam) extrahenti resistere, & extractus iam agere, ut Ecclesiæ restituatur; ergo sine citatione delinquentis non potest Iudex Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

Ecclesiasticus illum remittere Curie seculari. Consequentia probatur; quia quotiescumque directè agitur de præiudicio alicuius, requiritur citatio eiusdem ad ipsum condemnandum.

SECTIO II.

Difficultates in oppositum, earumque solutiones.

SUMMARIUM.

- 1 Priuilegium immunitatis competit primo & per se Ecclesiæ, necnon competi immediatè, directè, & per se etiam reo.
- 2 Priuilegium immunitatis potius dicendum est competere reo, quam Ecclesiæ, cum Ecclesiæ inuitus et concedatur, & homo capax sit beneficii.
- 3 Citatio delinquentis non videtur necessaria quotiescumque probatio fit ad iudicis instructionem, si finis in causis Tertio non præiudicantibus, alias secus.
- 4 In crimine assassinij ad excommunicationem, depositionem, vel aliam censuram ferendam requiritur etiam partis citatio.
- 5 In crimine assassinij ad ferendam sententiam sufficient probabilia argumenta; qua tamen in casu immunitatis non sufficiunt.
- 6 Ferre sententiam sine Partis citatione est contra ius naturale, nec potest consuetudine aliqua firmari.
- 7 Reus si sponte compareat non citatus, petatque audiri pro sui iuris defensione, audire debet, & quorsumque audiat, opponere potest sententiæ Ordinarij declarantis immunitatem ipsi non competere.

Obiicies, priuilegium immunitatis competit primo, & per se Ecclesiæ; reo autem competit tantum in consequentiam (uti docent Couar. 2. var. capite 20. num. 11. & Decian. tract. crimin. lib. 6. cap. 29. num. 1. in fine.) Ergo non est, cur citetur reus. Consequentia probatur, quia quotiescumque priuilegium alicui competit in consequentiam, & non immediatè, seu directè, & per se, non debet is citari, sed sufficit, si citetur princepsalis.

Respondetur, concedo priorem partem antecedentis, quod scilicet priuilegium immunitatis competit primo, & per se Ecclesiæ; at nego posteriorem partem illius, quod scilicet competat tantum delinquenti in consequentiam, & non immediatè, directè, & per se etiam, uti supra dicebam. Quinimò dicendum est, quod potius competat delinquenti, intuitu tamen Ecclesiæ; cum non Ecclesia, quæ est res inanimata, capax beneficii sit, sed potius homo, in honorem tamen, & reuerentiam Ecclesiæ.

Obiicies secundò, probatio, an delictum sit exceptum, sit ad instructionem Iudicis (cum ipsi tantum id constare debeat, ut possit delinquentem remittere Curie seculari, & patet ex Constitutione Gregorij XIV. ibi: Cognito prius per Episcopum, an vere supradicta crimina commiserint: & quia nullibi ab illa requiritur, ut parti etiam constet.) Ergo non est, cur delinquens citetur. Consequentia probatur, quia quotiescumque probatio fit ad iudicis instructionem, non videtur necessaria citatio delinquentis: ita Innocent. Bart. & Bald. quos citat Farinacius in cit. consil. 168. num. 48.

Respondetur, concedo antecedens; at nego consequentiam: & ad probationem respondeo distinguendo:

guendo: non videtur necessaria citatio delinquentis, quotiescumque probatio sit ad iudicis instructionem, si sumus in causis tertio non præiudicantibus concedo: si sumus in causis tertio præiudicantibus, (vt in casu nostro) nego. Neque obstat, quod soli iudici dicatur debere de veritate constare; quia id dicitur, quia probatio (quamvis citetur pars, *cap. statumimus*, §. cum verò, de *rescriptis* in 6.) fit iudici, & non parti, etsi constando iudici, ex consequentia etiam constet & parti.

Obiicies tertio, in crimine assassiniæ ad excommunicationem, depositionem vel aliam censuram ferendam, non videtur necessaria citatio partis. Hostiens. in *cap. unic. de homicid.* in 6. num. 37. verb. *Constituit*, & ibi Ioan. Andr. & Geminian. Ergo neque necessaria est in casu nostro; cum hic de minori præiudicio delinquentis agatur.

4 Respondetur, nego antecedens, quia licet ad condemnationem ibi argumenta probabilia sufficiant, hæc tamen plenè, & in forma iudicii probari debent, & consequenter cum citatione partis.

5 Respondetur secundò, transeat antecedens: at nego consequentiam, & disparitas est, quia in crimine assassiniæ (cum propter gravitatem suam habeat multa specialia, *cap. 1. de homicid.* in 6. & ex communi tradit Mascard. *concl.* 137.) ad ferendam sententiam sufficiunt probabilia argumenta, quæ tamen in casu immunitatis non sufficiunt, cum verò, plenè, & perfectè de delicto excepto constare debeat, vt supra dicebamus.

6 Obiicies quartò, videtur receptum, vt informationes fiant secretè, sine citatione partis: ergo.

Respondetur, nego antecedens. Et esto, ita alicubi receptum sit, abrogari id deberet, vt potè contrarium iuri naturali. Quinimò addo, quod si reus sponte compareat non citatus, petatque audiri pro sui iuris defensione, audiri debeat, & quovis audiat, opponere possit sententiæ Ordinarij declarantis immunitatem ipsi non competere; quia agitur de eius præiudicio, & ex alio capite de iure naturæ ipsi competit, se posse defendere, & iudici defensiones ipsius admittere. Vide Farinac. *cit. conf.* 168, num. 61. & 62. & Peregrinum *cit. cap.* 3.

SECTIO III.

An testes examinati in processu informatiuo sint postea repetendi, & quomodo?

SUMMARIVM.

- 1 Testes examinati in processu informatiuo sunt postea repetendi citato, & audito fisco Ecclesiastico, & ipso reo, nisi forsan habeantur pro repetitis.
- 2 Repetitio testium multum Ecclesiæ, & reo, cum rei veritate potest prodesse.
- 3 Solus processus informatiuus non facit fidem, cum testes examinati, parte non citata, non probent, nec faciant indicium etiam in criminalibus.
- 4 Testes non obstat, quod deponam super crimine, licet non sint repetiti.
- 5 Ratio Guazzini, quod scilicet in criminalibus exceptis, parte non citata, patitur difficultatem.

EX dictis sequitur, quod testes examinati in processu informatiuo, sint postea repetendi, citato, & audito fisco Ecclesiastico, & ipso reo, nisi forsan

habeantur pro repetitis. Atque ita in terminis contra Guazzinum *tom. 1. defens. cap.* 31. num. 19. docet Ciarlinius in *controuers. forens. cap.* 10. num. 150. & meritò; quia repetitio testium multum Ecclesiæ, & reo cum rei veritate prodesse potest; cum testes repetiti sæpè dictis suis quid addant, vel minuant, vel alio modo se declarent, ita vt quod prius Ecclesiæ, & reo noxium erat, incipiat esse vtile, & proficuum; tum quia solus processus informatiuus non facit fidem, cum testes examinati, parte non citata, non probent, nec faciant indicium, etiam in criminalibus, vt docent Farinac. *quæst.* 72. num. 87. & ipse etiam Guazzinus *defens.* 24. *cap.* 9.

Neque obstat, quod dicunt idem Guazzinus *cit. defens.* 1. *cap.* 30. & Giurba *consl.* 50. sufficere in nostro casu, quod testes deponant super crimine, licet non sint repetiti; quia ratio Guazzini, quod scilicet in criminibus exceptis probent testes parte non citata (præterquam quod Doctores per eum allegati loquuntur solum in crimine assassiniæ, & læsæ Maiestatis, quæ propter gravitatem suam habent multa specialia, vt supra dicebam) patitur difficultatem; cum multi alij teneant, etiam in dictis criminibus requiri citationem, vt per Farinacium *q. 72. num.* 87. Mascardum *concl.* 137. & etiam eundem Guazzinum *cit. defens.* 24. *cap.* 9. videre est.

DVBITATIO XLV.

Qualiternam Iudex Ecclesiasticus obligatus sit in hac cognitione procedere?

SUMMARIVM.

- 1 Obligatio libelli, & litis contestatio non videtur necessaria in hac cognitione.
- 2 Obligatio libelli, & litis contestatio non est necessaria quando agitur ad cognitionem qualitatis delicti, & non ad penam illius.
- 3 Idem procedit quando agitur ex officio, & nullo accusatore interveniente, maxime quando decisio committitur arbitrio, & cum clausula (summarie.)
- 4 Iudex Ecclesiasticus in casu supradicto tenetur reo, & Ecclesiæ concedere dilationes, quæ vt iura sua defendat, necessaria sibi visa fuerint.
- 5 Iudex Ecclesiasticus in tali cognitione faciendâ, non potest denegare dilationes ad probandum, cum id sit de iure natura, & aliâs delictum non esset plenè probatum.
- 6 Item tenetur fabricatum processum publicare, ne reo, & Ecclesiæ defensio, & allegandi si quid habeat in sui iuris favorem, potestas tollatur.

Respondetur, non videri necessarium, quod procedat libellum exhibendo, & litem contestando, quia agitur ad cognitionem qualitatis delicti, & non ad penam illius; tum quia agitur ex officio, & nullo accusatore interveniente; tum quia committitur arbitrio Episcopi huius causæ decisio; tum quia potest summarie, & extra ordinem iuris hæc causa tractari: ergo, &c. Consequentia probatur, quia in his omnibus non requiritur libellus, & litis contestatio, vt ex communi tradunt Menoch. de *arbitr. quæst.* 18. & Farinacius *cit. conl.* 168. numero 63. Tenetur tamen iudex Ecclesiasticus reo, & Ecclesiæ concedere dilationes, quæ vt iura sua defendat, necessaria sibi visa fuerint, quia etsi eius iudicio & arbitrio delicti probatio commissa